kat.komp.
53186
BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
I Mag. St. Dr. -P

Draski Adami: Quaestio de elementorum motu.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0002418

QVÆSTIO
DE
ELEMENTORVM MOTV,

IN ALMA ACAD: CRACOV:
Publicè ad disputandum proposita,
mense Ianuario, die 3. hora 14.

A

M. ADAMO DRASKI, Collega Minore. i. Darski.

Permissu Magnifici Domini Rectoris.

CRACOVIÆ,
Typis Matthiæ Andreouiensis.
Anno D. 1626.

Origo Gloriæ, Vetuſtiſsimæ Familiæ Illuſtrium Comitum ab Oſtrorog.



53186
I

Faſcia Cæſaribus, volucrum Regina Tonanti
Conuenit, vt nobis ſæcula Priſca canunt.
OSTROROGAEA Domus, titulis decoratur vtrisque,
Tam prælustre decus quis ſuperare queat.

Illustri & Magnifico Domino,

D. NICOLAO COMITI AB OSTRO-ROG, PALATINIDÆ POSNANIensi, Capitaneo Drohouisiensi, &c. &c.

Domino & Patrono Amplissimo.

S. & P. F.

Certamina literaria, in quibus ut ferro ferrum, ita ingenio ingenium acuitur, à priscis sapientibus instituta etiamnunc in scholis vigent, partim ut discendi studium honesta exercitatione alatur, partim ut ardore disputationis vis ingenij emicet. Intra hos ego cancellos inclusus, cui in gremio almæ matris Academiæ locus obtigit, consuetudine ita ferente, ne quis in cætum Academicorum irrumpere potius, quàm cum ipsorum approbatione recipi malit, subieci disputationi de motore Elementorum inquisitionem. Verùm cùm neq; ei loco, neq; negotio splendorem ab ingenio meo afferri posse intelligam, ab Illustris nomi-

nis M. D. V. claritate, ornamenta petenda mihi esse duxi. Illud exploratum habeo, in honore esse in Academia nomen M. D. V. amplissimum, quæ tyrociniũ literarum apud se depositum, pro Pignore æquissimi animi M. D. V. & præclaræ erga se voluntatis habet. Nec mihi fas non esse puto, meas literulas honore nominis M. D. V. ornare, cui ante aliquot annos, domi Vestræ amplissimæ honos institutionis generosæ indolis satis ornamenti attulit. Aderit itaq; huic meo labori M. D. V. etsi absens corpore, præsens tamen patrocinio, nec ingratum erit Academicis hasce quantumuis exiles & paucas paginas, nomine M. D. V. inscriptas & ornatas legere, quibus in memoria recenti est, egregium Iudicium ILLVSTR: & Sapientissimi SENATORIS, Patris M. D. V. & mei Patroni desideratissimi de Academia factum, ad quam ablegans M. D. V. cum alijs summo loco natis & propinquitate coniunctis adolescentibus, quid aliud egisse videtur, nisi iam ætate grauis, & plenus consilij Heros intendisse digitum ad fontem, ex quo flos illibatus iuuenum irrigari debeat. Deus Illustrem & M. D. V. incolumem diutissimè conseruet. Dat è Collegio Minori. die 3 Ianuarij. 1626.

Illustri & M. D. V. deditissimus,

M. Adamus Draski.

QVÆSTIO.

V. Elementa, cùm ad ſua loca naturalia tendunt, à ſeipſis id eſt, à principio quod intra ſe habent, an verò à Generãte vt principali cauſa extrinſeca: intercedente tamen forma ſubſtantiali Elemẽti, vt principali inſtrumento generantis & grauitate vel leuitate, vt minus præcipuo eiuſdem inſtrumẽto, effectiuè moueantur necne?

CONCLVSIO I.

Corpora ſimplicia grauia & leuia, vt ſunt Elementa, cùm in ſua loca naturalia tendunt, non mouentur à ſe, vt à principe cauſa effectricẽ ſui motus.

Corollaria.

1. *Omne quod mouetur debet habere aliquod principium effectiuum sui motus, siue illud sit intrinsecum, siue extrinsecum.*

2. *Cùm Aristoteles dicit 7. Physic. nihil à seipso moueri, non intelligendum, quod nihil intrà se habeat effectiuum principium motus, hoc enim esset falsum, vt inferiùs patebit; sed quòd nihil seipsum ita mouet, vt secundùm idem se moueat & moueatur, quod est impossibile.*

3. *Principium effectiuum motûs localis duplex est, vt quò & vt quod. Principium vt quò, est ratio, qua aliquid mouetur: principium vt quod est, id cui principium vt quo, primò communicat virtutem motiuam. V. G. In animalibus Anima est Principium motus, vt quò. Pars autem integrans, vt quod. Nam pars integrans quæ in sanguineis est cor, in exanguibus verò est aliquid quod subit vicem cordis, virtute sibi ab anima communicata mouet reliquas partes.*

4. *Inanimata quamuis habeant Materiam & Formam, ex illis tamen principiis* vt quo*, & vt quod, neutrum principium effectiuum habere possunt. Non principium vt quod, quia hoc in iis tantùm est, quæ habent partes heterogeneas siue diuersæ rationis, siquidem*

quidem

quidem in his dari pòßunt pars mouens & pars mota, quod in rebus inanimatis non datur, cùm omnes sint eiusdem rationis. Non habent principium vt quò, quia hoc à natura ordinatur ad partes, quarum vna sit mouens & altera mota, atq; vbi tales partes nõ sunt, nec ibi principium tale erit.

5. *Materia & Forma rerum inanimatarum in motu locali dicunt rationem principij passiui tantùm.*

6. *Sola Animalia motu locali à seipsis verè & propriè mouentur, quia hæc sola motûs sui intra se effectiuum principium habent.*

7. *Locus Naturalis est cuiuslibet Elementi, in quo naturaliter quiescit.*

CONCLVSIO II.

Grauia & leuia mouentur à Generante, tanquam à Mouente principali, non solùm quando de potentia essentiali reducuntur ad actum, sed etiam quando de potentia accidentali in actum secundum ruunt.

Corollaria.

1. *Operationes rerum Naturalium quædam immediatæ*

mediatè à forma substantiali pullulant, & quarum forma substantialis non est principium effectiuum sed principium formale tantùm, quædam verò à forma substantiali producuntur, sed mediantibus instrumentis seu potentijs effectiuis illarum operationum.

2. *Quæ operationes à Forma substantiali immediatè pullulant, pertinent ad perfectionem geniti ex vi generationis, id est, ad perfectionem naturæ suæ debitam à generante. Quia generans officio suo satisfecisse non videretur, si data forma absq; instrumentis effectiuis, non daret operationes naturæ rei genitæ ad perfectionem & conseruationem suam debitas.*

3. *Operationes quæ mediantibus effectiuis instrumentis producuntur, non pertinent ad perfectionem rei genitæ essentialem naturæ suæ debitam à generante, quia generans officio suo satisfecisse videtur, quãdo rei genitæ tribuit instrumenta ad acquirendam perfectionem vlteriorem necessaria, licèt eandem perfectionem, quæ mediantibus instrumentis acquiritur non tribuat. Quamuis pertinent ad perfectionem rei genitæ accidentalem, id est, quatenus genitum se magis ac magis perficere potest, mediantibus potentijs sibi à natura datis.*

4. *Omnes naturales facultates, proprietates, & ornatus in instanti procreationis rebus debiti, veluti quoddam corollarium essentiæ cuiusuis, vt vis alendi,*

sentien

sentiendi, loco mouendi, item etiam quantitas, tempe- ramentum, aliaq; eiusmodi, licet proximè à forma rei genitæ dimanent, attribuenda tamen esse vt principali causæ ipsi generanti suæ Efficienti.

5. *Eidem generanti attribuendæ motiones, quibus corporibus restituuntur natiuæ qualitates, vt cùm aqua ad suum frigus, aër ad propriam humiditatem, amoto extremo impedimento per se reducitur.*

6. *Motus grauium & leuium non ideo præcisè tribuitur Generanti, quia generans dedit formam grauis, & grauitatem, sed quia ab illa naturaliter pullulat motus, tanquam passio requisita, ad completam generationem ipsius grauis, quam generans sua actione intendit efficere, quod non reperitur in motu locali animalium, nec in nutritione, nec deniq; in calefactione ignis, quoniam hæ operationes non pertinent ad complementum generationis eorum.*

7. *Falsum est omnem motum, qui fit ab extrinseco esse violentum, vt patet ex Aristotele 8. Physic. Cap: 4 & ex motu Cæli, qui fit ab Intelligentia, & tamen est naturalis.*

CONCLVSIO III.

Elementa quæ sunt corpora grauia & leuia, ita mouētur à generantibus, vt nec

forma

forma substantialis grauiũ & leuium, nec grauitas & leuitas concurrunt effectiuè ad motus, quibus ad sua loca ferũtur, etiam tanquam principia instrumentalia.

Corollaria.

1. Grauitas & leuitas, non sunt Formæ substantiales, grauium & leuium Elementorum, vt falsò nonnulli existimant, nec sunt qualitates actiuæ, vnde nec instrumeta effectiua, quibus mediantibus, formæ grauium agunt in corpora grauia, vel moueant illa, dici possunt.

2. Formæ rerum naturalium sunt in duplici differentia. Quædam propria virtute efficiunt operationes sibi à natura debitas: quædam verò non efficiunt quidem operationes propria virtute sibi debitas à natura, sed tamen operationes naturæ suæ debitæ statim positis illis formis resultant.

3. Formæ quæ propria virtute efficiunt operationes sibi à natura debitas, aut sunt principales causæ suorum effectuum effectrices, aut sunt causæ instrumentariæ, vt Planta, est principalis causa efficiens alterius Plantæ, semen verò quo mediante efficit aliam

liam, est causa instrumentaria, quia natura relinquit virtutem actiuam in semine, qua mediante producitur alia planta.

4. Formæ, quarum operationes in instanti generationis naturæ suæ debitæ, statim positis ipsis formis resultant, nec sunt principales causæ efficientes, nec instrumentariæ suarum Operationum.

5. Aliquid aliud, est efficiens taliū, operationum, scilicet extrinsecum generans, cuius eadem actio tam ad formam, quàm ad operationes illius formæ terminatur.

6. Motus grauium vel leuium, cùm sit propria Passio ad perfectionem grauium vel leuium, in instanti generationis naturæ suæ debitam pertinens, non simpliciter de nouo producitur; sed in alio tanquam in radice & fundamento præest.

7. Corporum quæ grauitate & leuitate prædita sunt motus, dum est in actu, non requirit causam, quæ secundum se actu existat, sed satis est, si causa illa sit in sua virtute nempè in forma, à qua ille Effectus, siue motus naturalium resultat ac pullulat, absq; noua aliqua formæ actione.

M. GREGORII GOLINSKI
Collegæ Minoris
IN
DiſputationemPhiloſophicam
M. ADAMI DRASKI.
APPLAVSVS.

PErge bonis auibus, nec iniquâ Pallade, DRASKI,
Laudibus applaudant numina dextra tuis.
Vtque Cromoligenæ quondam cis fluminis vndas
Hic vbi Poſneadûm ſurgit ad aſtra decus,
LVBRANIAM ſuêras Muſis & Apolline Plenus,
Alter vt Andæus condecorare Scholam.
Lecta tuo quando pendebat ab ore iuuentus,
Caſtalij mentes fonte riganda vadi.
Dum tua turmatim Pubes ad tecta ruebat,
Nectareos à te ſumere docta fauos.
Et velut àërias glomerabat ſæpe volucres
Biſtonis Odryſio pollice pulſa chelis:
Sic tua denſauit facundia blanda frequenter
Dulciloquis iuuenum corda tenella modis.
Hanc quoq; percelebrem Diui Iagelonis Alumnã,
Dotibus ingenii perge beare tui.

Nunc

Nunc genium depromé tuum, nunc ipsa monet res,
Altricis laudes vt tueâre tuæ.
Dum Nemesis malesana furit, dum spicula passim
Matris in antiquum vibrat acuta decus.
Cernis vt AEtiopûm desertans sidera Phœbus,
Decliui rutilum vertit ab orbe iubar.
Vertit & ad nostros flexo temone nouales,
Phosphoreo curru prospera cuncta vehit.
Dum fera ventosas irritat Iuno Procellas,
Frigora dum rigido Iupiter axe ciet.
Dum fremitans bacchatur hyems, dum perfurit atrox
Tempestas, lucos cana pruina tegit.
Approperat Titan vultu remeare sereno,
Et radiis Lechicas exhilarare plagas.
Et procul insanos proscribere luce tumultus,
Quà bibit extremas decolor Indus aquas.
Quà Garamas steriles Cereris despectat arenas,
Qua iacet ignotis vltima terra locis.
Tu quoque ne dubita forti confligere marte,
Obiiciat quamuis sæua procella minas.
Sol tibi Iustitiæ cælo qui nuper ab alto
Affulsit, validum robur in arma dabit.
Auspicium fælix Ianus præstabit, & annus,
Propitios orsus Ianus & annus habet.
I bone, Pierio cinctus munimine pectus,
Ægide spem firmam præclypeatus habe.

Quoq́ue magis cæptis pergas confidere rebus,
En Labarum præfert OSTROROGAEA manus.
Progenies COMITVM Præcelsi sanguinus Heros,
Qui grauidum pectus martis & artis habet.
Accipe sis omen, quod ab eius nomine surgit,
Nominibus faustis omina fausta latent.
Nicoleos populi Victoria, voce Pelasgâ
Dicitur, omen habes, tu quoq́ue victor eris.



Sub felicibus Auſpiciis Admodum R̄ndi
ac Magnifici Domini, D. IACOBI NAY-
MANOWIC, I. V. D. & Profeſſoris, Ca-
nonici Cracouienſis, Archidiaconi Pi-
lecenſis, Almæ Academiæ Cracouien-
ſis Generalis RECTORIS.

B J C